



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Daniel Stylita. 11. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

parentum custodiam noctis beneficio fefellit, interque Angelorum comitatum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea ipsum iudicem accusare ausa est, & ejus in pios tyrannidem populo spectante & audiente multis objurgare. Quid? quòd, cum hic dictis mellitis suadere insisteret, ut ad Deos transfiret, quò dicta illa despueret, in vultum tyranni expuit; Deosque & thus Deorum, cumque his minas omnes heroo pede calcavit: flagris deinde lacera risit etiam, sanguineque suo picta velut superbè circumspexit sese: demum cum faces ardentes admoverentur, flammam ore patulo excepit, Deoque cum animâ lætabunda transmisit. Et verò ecce testes castissimi & animi & corpuseculi! Ille, uti ipse carnifex spectavit, argenteas columbæ pennas indutus cælo se abdidit. Hoc, ut tumultus manibus responderet, prodigiosæ nives texerunt. Et erubuerunt, puto, hæ, cum candidius aliquid se, virginitatem viderunt. *Ex Prud.*

Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis. His nos præsiidiis specialiter instruamus, ut tamquam duabus alis elevati de terrenis mereamur esse cælestes. S. Leo serm. 4. de Pass.

S. DANIEL STYLITA. II. Decembris.

CÆlo vicinus incola DANIEL est, qui annos CXXIX. columnam habitavit, indeque tempestates, & cum his mortalia omnia generoso supercilio despexit, orci ingens terror, Superis gratissimum spectaculum. Nempe terris adeoque se altior, clientes sibi que obnoxios reges habuit. Ita Leonem filio beavit, & mortis periculo exemptum Imperatorem sibi vitam debere fecit. At

Zenoni regni jacturam longè antè vaticinatus est. Contra Basiliscum verò Ecclesiæ hostem ut pugnaret, è columnâ descendit, & impendentes Numinis iras sævienti objecit non vanus augur. Jam & in dæmonas malos regnum tenuit, eque corporibus humanis, cum libuit, proseripfit, fuitq; cum mulier, quæ Divi innocentiam infami rumore aspererat, à vindice genio obsessa, non potuit obsidione nisi ab ipso DANIELE liberari. Ceterum cum cælo uti propinquum, ita frequens illi fuit commercium, sub ultimos præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites plurimi ad ægrum viserunt. Horum nomina prodidit hominis item incola dæmon, uti & horam, quâ moriturus DANIEL, & ipse fugadus erat. Obiit verò anno cccc. lxxxix. In corpore, quod diu tergemina crux illustravit, tumultando reges laborarunt. Animus fecit, quod in vitâ jam fecerat; cælum habitavit. *Ex Metaphr.*

Nemo sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est. Cui enim justius vivam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viverem? cui commodius, quàm promittenti vitam æternam? cui magis ex necessitate, quàm flammam perpetuas minitanti? S. Bern. ep. 143.

B. JUVENIS ÆGYPTIUS ANONYMUS.

II. Decembris.

VT exciderit antiquitati nomen adolescentis hujus, aliud certè sibi & immortale apud posteros peperit. Et videtur etiam hic minùs facturus fuisse, si minùs peccasset. Etenim Amirani Saracenorum regis favorem ut aucuparetur, Christum cum Mahomete mutavit, & calcatâ cruce, more barbaro impioque sacramentum acci-

naci